

ram, quæ lādentes Romipetas Bulla Cœnæ perstringit; prædicta autem ratio nihil evincit: nam laudata Bulla exprimit quidem interficiētes, vulnerantes, ac mutilantes; simpliciter vero percutientes non exprimit; quos tamen exprimere debuisset, si etiam hos voluisset Pontifex latæ excommunicationis pœnæ subjectos. Cum itaque in pœnis verba stricte sint accipienda, ut cap. in pœnis de reg. jur. in 6. dicendum est, Peregrinos nostros, qui se invicem baculis percusserunt, nullam incurrisse censuram, quod valet etiamsi graviter se percutiendo, aliqua carnis contusio, tumor, vel macula in cute apparere, dummodo nullum verum vulnus inflictum sit. Posito autem quod Peregrini prædicti, nulla reservata excommunicationis censura, innodati remanserint, in dubium verti non potest eosdem potuisse à simplici Parocho absolvī. Ita cum Duard. l. 2. can. 10. quæst. 2. num. 2. Ugolin. cap. 10. v. vulnerantes num. 2. Bonac. in Bullam Cœnæ quæst. 11. punct. 1. num. 3.

CAS. III. Cajus juvenis ad donum perseverantiae in castitatis virtute impetrandum diei sibi bene visæ singulis annis eligendæ in honorem Sancti Joannis Apostoli jejuniū vovit. At talis jejuniū inde pertæsus opinatur per unicum jejuniū pervigilii Nativitatis Dominicæ posse simul votum à se emissum implere. Q. an opinio prædicta possit admitti ut iusta.

Respondeo negative. Quamvis enim per se loquendo unico actu possit quis pluribus obligationibus satisfacere, adhuc tamen non videtur posse juvenem nostrum unico pervigilii Nativitatis Dominicæ jejuniū, & Ecclesiæ præceptum & votum à se emissum implere. Ratio est, quia votum jejunandi in honorem Sancti Joannis Apostoli à Cajo emissum videtur cadere supra jejuniū alias non debitum; tum quia novam carnis afflictionem debuit idem Cajus intendere, dum eam ordinavit per votum ad donum perseverantiae in castitatis virtute impetrandum; tum, quia, ut dicitur in casu, jejuniū in voto promissi Cajus fuit inde pertæsus, quod nisi de novo jejuno intelligi apie non potest. Dicendum itaque, quod etsi Cajus sit liber in electione diei projejunio, cum jejuniū voverit diei sibi bene visæ singulis annis eligendæ, non tamen ita liber est, ut possit, tamquam iusta admitti opinio illa, quæ putat eadem die, quā jejuniū aliquod ab Ecclesiæ præscriptum est, ut est illud pervigilii Dominicæ Nativitatis, posse simul jejuniū votum à se emissum implere. Ita cum Girib. in primum Decal. præc. c. 5. n. 7. Mazuch. n. 16.

ANNO MDCCXLI.

MENSE JANUARII.

CAS. I. **B**eret adulteræ mortem minatur Maritus, si adulterii commissio veritatem occultat, unde ipsa à Confessorio consilium peti. Q. quid illi sit consulendum.

Res-

Respondeo cum distinctione. Si novit Berta Marito certo innotuisse adulterium, consultius erit veniam injuriæ petere, ac pœnitentiæ signis Conjugis iram lenire, ne forte ipsius furorem in se magis concitet, si cognitam veritatem voluerit pestinaciter occultare. Si vero Maritum de adulterio à Berta patrato levia dumtaxat indicia, levemque habeat suspicionem, consulendum erit Bertæ, ut se adulterium commisisse neget, negationemque, si opus sit, juramento confirmet, intelligendo, intra se non commisisse adulterium, quod teneatur Marito interroganti aperire. Quamvis enim amphibologica, & æquivoca locutio, ubi nulla intervenit rationabilis causa, adhibenda non sit; licitus tamen est ejus usus, quando agitur de evitando gravi damno famæ, & vitæ, ut in nostro casu contingit. Neque uteretur Berta in casu restrictione pure interna, & mentali, quia de facili potest Maritus agnoscere, UXorem non teneri cum tanto propriæ infamiæ, & vitæ periculo turpitudinem suam fateri. Ita Cardenas in propos. damnat. dissertat. 19. cap. 2. num. 17. Piselli p. 1. tract. 4. cap. 2.

CAS. II. Cajus perpetuo carceri justa de causa mancipatus pluries tentavit fugam, & demum fracto carcere, fugiit. Q. an peccaverit sive tentando fugam, sive frangendo carcerem.

Respond. negative quoad utramque partem. Ratio primæ partis est, quia perpetui carceris pœna, quæ pœnæ mortis æquiparatur, adeo gravis est, ut reus, quamdiu spes affulgeat, jus omne ad illam evitandam retineat, cum nulla potestas humana, nisi aliud postulet commune bonum, ad illam subeundam valeat obligare. Ratio posterioris est, quia cum licitum sit in casu fugam arripere, licita quoque esse debent media ad fugam, & consequenter ipsa carceris fractio, sine qua ex hypotesi fuga haberi non potest. Cum igitur hic non agatur vel de gravis communis boni periculo, vel de aliqua judicis, aut ministrorum injuria, aut læsione, poterit, ad summum dici, Cajum teneri ad reparandum damnum secutæ fractionis, numquam vero eumdem, sive tentando fugam, sive frangendo carcerem, peccasse. Ita D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2. Lugo de just. & jur. d. 4. sect. 4. num. 41. & 42.

CAS. III. Cum ruralis Parochus, ad consecrandam Particulam pro ministrando Viatico Parochiano moribundo, Missam celebrare deberet, noluit celebrare, quia Altare carebat luminibus opportunis. Q. an bene se gesserit.

Respondeo cum distinctione. Si pro parentia luminum opportunorum, parentia quorumcumque luminum absolute intelligatur; dico Parochum se bene gessisse. Ratio est, quia in quacumque hypotesi, sive diei festi, sive Viatici ministrandi, illicitum est, ut pote contra reverentiam debitam Sacrificio, Missam absque omni lumine celebrare. Si vero intelligatur tantummodo parentia luminum in qualitate, aut numero per rubricas præscripto, male Parochum se gessisse, dicendum est. Quamvis enim ex rubricarum lege duobus saltem lumina ex cera quolibet Sacrificio sint adhibenda, lex ista, præcisus scandalo, urgere non debet in casu necessitatis, qualis ille est, in quo noster Parochus reperitur; in hoc enim casu, & unicum lumen sufficere, & illud sive ex cera, sive oleo, aut sevo confectum sit, sufficienter posse insertivire com-

communiter docent Auct. ut ex Azor. lib. 10. c. 28. q. 5. Girib. de Sacrif. Missæ tr. 5. c. 9. Lacroix l. 6. p. 2. n. 308. §. 11.

MENSE FEBRUARII.

CAS.I. Itius, nonnullis vix transactis horis ab ultima denuntiatione, vel let Matrimonium cum Berta contrahere. Q. an Parochus licite possit Titii votis annuere.

Respondeo negative. Quamvis enim ex Concil. Trid. sess. 24. c. 1. de refor. Matrim. expresse non habeatur, quod Matrimonii celebratio ad aliquod tempus, puta ad spatium duorum saltem, vel trium dierum, post ultimam denuntiationem differri debeat; adhuc tamen, cum finis denuntiationum sit, ut si aliquod obstet impedimentum, detegi possit, atque opportune deferri, menti ipsiusmet Concilii, & Ecclesiæ valde consonum est, ut ultima peracta denuntiatione, Matrimonium statim non contrahatur, sed duorum saltem, vel trium dierum spatium pro iisdem impedimentis, si quæ sint, opponendis supersit. Hac de re praxis est plurimum Synodalium Constitutionum firmata, ut absque Ordinarii licentia ultimæ denuntiationis die Matrimonium non celebretur, nisi ultimam denuntiationem fieri illa die continget, ad quam immediate Adventus, vel Quadragesimæ initium subsequatur. Ita ex Act. Eccl. Mediol. de instruct. Matrim. p. 4. c. 2. Girib. de denunt. n. 10.

CAS. II. Sciens Sacerdos in Oratorio campestri recenter constructo, & nondum benedicto, ex duorum rixa secuta, esse violentam sanguinis effusionem, Missam in eodem celebravit, antequam opportuna foret benedictione reconciliatum. Q. quot leges fregerit.

Respondeo unicam legem fregisse. Ratio est, quia cum ex can. 1. de consecr. d. 1. Missæ sacrificium nequeat celebrari in Ecclesiis, vel publicis Oratoriis, nisi prius fuerint sacro consecrationis, vel saltem benedictionis ritu divino cultui dicata, clare appareat, sacerdotem nostrum, qui Sacrum peregit in Oratorio Campestri recenter constructo, & sive ante, sive post sequutam sanguinis effusionem, nullatenus benedicto, contra superlaudatam legem egisse. Non appareat autem, quomodo aliam fregerit, cum dici non possit aliam fregisse, ex quo celebraverit in loco polluto; nam cum loci sacri pollutio à jure inducta, utpote importans legalem maculam, legali tantummodo sanctitati ex consecratione, aut benedictione ortæ opponatur, dicendum est Oratorium in casu nostro, utpote nullatenus consecratum, aut benedictum, neque proprie fuisse per violentam sanguinis effusionem pollutum, & proinde stat, sacerdotem in eodem Oratorio celebrantem unicam dumtaxat legem fregisse, ut dictum est. Ita ex Pasqual. de Sacrif. q. 539. n. 1. Anaclet. de Sacram. q. 12. n. 116.

CAS. III. Paulus accusans se in confessione de re gravi furto sublata, non explicat tempus, quo rem ablatam apud se retinuit. Q. an prædicta confessio habeat sufficientem integritatem.

Respondeo cum distinctione. Si Paulus tempore quo apud se rem ablatam retinuit, per novum specialem actum pluries renovavit propositum non

restituendi: vel data plures opportuna restituendi occasione, etiam cum advertentia ad dominum rationabiliter invitum, potens restituere, non restituit, ejus confessio sufficienter integra dicenda non est. Ratio est, quia cum novum elicere non restituendi propositum, vel data restituendi occasione non restituere, sit elicere novum actum, vel expressum, vel implicitum contra preceptum non retinendi alienam rem, quod utpote negativum, semper, & pro semper obligat; hinc est, quod in casu confessio ipsiusmet Pauli, utpote non explicans numerum peccatorum, sufficientem non habet integritatem. Si vero Paulus numquam potuit restituere, vel semper fuit in eodem non restituendi proposito, nec aliquando majus domini malum secundum sit; tunc cum diuturnitas temporis nec numerum augeat peccatorum, neque circumstantiam importet necessarie in confessione aperiendam, dicendum est, Pauli confessionem etiam non expresso tempore, quo apud se rem ablatam retinuit, sufficientem integritatem habere. Ita Bon. de rest. disp. 1. q. 6. n. 10. & 11. Girib. c. 5. n. 27.

MENSE MARTII.

CAS.I. Risticus in formam pauperum petit à Sancta Sede, & obtinuit dispensationem ad contrahendum matrimonium cum Caja sibi in quarto gradu affine: antequam tamen matrimonium contraheret, ex obitu cuiusdam consanguinei sui, ei advenit pro statu suo pinguis hereditas. Q. an ex obtenta dispensatione possit valide prædictum matrimonium contrahere.

Respondeo cum distinctione. Vel dispensatio à Pontifice obtenta, & per Commissarium executioni demandata est, antequam rusticus adveniat pinguis hereditas, vel non. Si primum, dico, rusticum jam vere, & legitimate dispensatum posse valide dictum matrimonium contrahere: ablatus est enim ob ex validitatibus contractus matrimonialis, quia etiam adveniente pingui hereditate, reviviscere amplius non potest. Si secundum, dico, quod non existenti causa finali dispensationis, quando hæc petitur à Pontifice, vel cessante prædicta causa tunc temporis, quando Commissarius est dispensationem executurus, nequit amplius ipsa dispensatio executioni mandari, cum intentione Pontificis concedentis, & alteri delegantis executionem dispensationis non nisi veritati expositæ causæ innitatur; & proinde dicendum, impedimentum adhuc perseverare: & rusticum ex obtenta dispensatione non posse valide prædictum matrimonium contrahere. Ita Laym. l. 1. tr. 4. c. 22. de disp. n. 14. & 15. Suar. l. 6. de Leg. c. 20. n. 13.

CAS. II. Cum quodam die festo non haberet Parochus ruralis vinum ad celebrandam Missam, celebravit in musto. Q. an licite, & valide consecraverit.

Respondeo affirmative quoad utramque partem. Ratio, cur valide consecraverit, est, quia mustum, ex uvis maturis expressum, est verum vinum de vite, quamvis impurum, & imperfectum, & proinde materia vere sufficientis pro Calicis consecratione. Ratio, cur consecraverit etiam licite, est, quia in casu necessitatis licitum est adhiberi vinum, etiamsi non sit tota-

liter purum, & defecatum, quale est mustum ex uvis maturis expressum, ut colligitur ex cap. cum omne de consec. dist. 2. ubi dicitur posse in necessitate botrum in Calice exprimi, & aqua misceri, & ita confici Sacrificium. Cum itaque habeatur in casu diei Festi necessitas audiendi Sacrum, & ex altera parte usuale vinum pro Sacrificio conficiendo nequeat, ut inquit casus noster, adveniri, Parochum nedium valide, sed etiam licite in musto celebrasse, dicendum est. Ita ex Tambur. de Euchar. l. 4. c. 1. §. 2. n. 2. Gir. c. 2. n. 15.

CAS. III. Sacerdos finita Missa, cum jam esset in Sacristia, Fragmentum in Patena invenit. Q. quid facere debuerit.

Respondeo cum distinctione. Si Sacerdos fragmentum in Patena invenit, antequam vestes Sacerdotales exueret, idem fragmentum, utpote Sacrificii a se peracti reliquiam, sumere tenebatur; cum hæc sumptio ejusdem Sacrificii, quod censetur, moraliter perdurare, complementum sit, ac perfectio. Si vero prædictus Sacerdos fragmentum invenit postquam vestibus spoliatus jam fuit, debuit vel in Tabernaculum illud deferre, si commode, & absque populi admiratione fieri potuit, vel tuto, & decenter illud servare, ut ab altero Sacerdote consumeretur, si adesset, qui eadem die celebratus foret; vel denique in casu, quo sive Tabernaculum, sive alter Sacerdos celebratus deficeret, debuit ab eodem sumi, qui Missam tunc celebravit. Ita ex Adnot. SS. D. N. Benedicti XIV. de Sacrif. sect. 2. §. 146. Zucher. res. mor. de Euch. cas. 2. mens. Dec.

M E N S E A P R I L I S.

CAS. I. M aritus quidam in absentia suæ conjugis sæpius habuit delectationem de actu conjugii sive præterito, sive futuro, absque tamen periculo pollutionis. Q. an tales delectationes voluntarie eliciendo peccaverit.

Respondeo negative, per se loquendo. Ratio est, quia delectatio specificatur ab objecto, & proinde talis est delectatio, quale objectum. Cum autem actus conjugii, qui in nostro casu est objectum, de quo maritus in absentia conjugis delectatur, licitus sit ipsi marito, licitum quoque ipsi erit de eodem conjugii actu, sive futuro, sive præterito delectari. Neque refert, talem delectationem in conjugis absentia non posse conjungi cum copula: nam sicuti possunt conjuges, quando non adest periculum pollutionis, honestis tactibus, & osculis invicem delectari absque peccato, etiamsi copulam non intendant; ita absente eodem pollutionis periculo, possunt per se loquendo absque peccato delectari de actu conjugii, sive præterito, sive futuro, etiamsi copula pro tunc nequeat obtineri. Dixi, per se loquendo, hoc est, attenta præcise natura prædictæ delectationis; nam propter aliquam inordinationem, quæ de facili in tali delectatione invenitur, nequit fortasse à veniali culpa excusari. Ita Girib. de Delect. mor. c. 16. n. 112. Laym. L. 1. tr. 3. c. 6. n. 12. 19. 28. mutuam auctor. 28. 28. 28. 28. 28. 28. 28.

CAS. II. Titius in die jejunii morose delectatur de esu carnium, quas mente resolvit. Q. an peccet contra jejunii præceptum.

Res-

Respondeo negative. Cum enim in die jejunii non interior de esu carnium delectatio mente percepta, sed tantum externa carnium manducatio, & quidem non aliquo naturæ jure, sed tantummodo positiva Ecclesiæ lege prohibita sit; sequitur Titium, qui de esu carnium, quas mente revolvit, morosam fovet delectationem, nequaquam contra jejunii præceptum peccare. Nisi itaque Titius pravam foveret voluntatem carnes comedendi tempore vetito, quod casus noster non exprimit, nullo modo ipsum peccare contra Ecclesiæ præceptum, dicendum est. Dux, contra Ecclesiæ præceptum; quia cum in vanis hujusmodi cogitationibus superflua quæri sollet delectatio, non erit Titius ex hoc capite ab omni saltem levi culpa immunis. Ita Laym. l. 1. tr. 3. c. 6. n. 9. Ana. de præc. Dec. tr. 9. d. 7. n. 18.

CAS. III. Capellanus accepta eleemosyna ad celebrandam Missam pro re gravi, differt celebrationem per aliquot dies. Q. an graviter peccet.

Respondeo cum distinctione. Vel res illa gravis, pro qua celebratio Missæ fuit imposta Capellano, est res aliqua pendens, & necessitas de præsenti urgens, vel non. Si primum, ita ut tempore illo, quo Capellanus distulit celebrare, infirmus ex. gr. jam obierit, sententia pro lite prolata sit, vel simile aliud negotium transierit, dico, Capellatum neque posse à gravi culpa excusari, neque receptum Missæ stipendium posse retinere, cum egredit contra mentem illorum, qui Missam pro re gravi absque dilatione celebrandam postularunt, & Missa, re gravi jam transacta, nequeat amplius habere postulatum effectum. Si secundum, dummodo Missæ postulatores omnimodam non exigant celeritatem, dicendum est, Capellatum per aliquot tantum dies, hoc est, ad modicum tempus differentem Missæ celebrationem, neque peccare, neque ad aliquam restitutionem teneri; cum Missa possit adhuc obtainere postulatum effectum, & modici temporis dilatio in Missarum celebratione etiam à Sacra Rituum Congregatione permissa sit. Ita ex March. in c. 31. n. 2. & 5. Ana. tr. 14. dist. 5. q. 8. n. 97. Girib. c. 6. n. 38. & 39.

M E N S E M A Y I.

CAS. I. F ranciscus detenus in carcere tamquam reus causæ capitalis petit à Confessario, utrum Judici interroganti denegare possit delictum, quod vere commisit. Q. quid debeat Confessarius respondere.

Respondeo cum distinctione. Si Franciscus scit, aut dubitat, se non esse legitime interrogatum, eo quod de crimine à se patrato non dentur sufficienciae indicia, vel non præcesserit infamia, aut semiplena probatio; tunc Confessarii responsio erit, eumdem Franciscum causæ capitalis reum posse absolute negare delictum. Ratio est, quia cum Judex, non servato juris ordine, jus non habeat interrogandi reum, illumque obligandi ad veritatem manifestandam, ut colligitur ex cap. cum oporteat, & cap. inquisitionis de accusationibus, neque reus, quamdiu illi non constat, se esse juridice interrogatum, tenetur ad mentem Judicis respondere, sed licite potest in possessione suæ famæ, suæque vitæ servari. Si vero Franciscus ab opposito sciatis, se esse juridice interrogatus, erit Confessarii responsio, ipsum tenueri veritatem fateri, etiamsi veritate manifestata morte plectendus sit, quia

sicuti Judex secundum jura interrogans habet veritatem manifestandam; ita reus secundum jura interrogatus tenetur obediere, ac veritatem fateri. Ita ex D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 1. Lessio c. 31. n. 12. Girib. de just. & jur. c. 6. n. 41. & 45.

CAS. II. Uxor, obtenta dispensatione impedimenti dirimenti occulti, reddit debitum marito petenti, non prius certiorato de nullitate prioris matrimonii. Q. an licite reddat.

Respondeo negative. Ratio est, quia matrimonium etiam obtenta impedimenti dirimenti dispensatione, non potest revalidari, nisi ex parte utriusque conjugis ponatur novus consensus, cum nullus contractus validus sit, ubi consensus contrahentium desideratur. Cum autem nequeat umquam ponni novus consensus a conjugi impedimenti ignaro, nisi prius notitiam certam habeat de nullitate prioris consensus, & matrimonii, hinc sequitur, marito non prius certiorato de nullitate matrimonii prioris, juxta consuetam clausulam obtentae dispensationis, non posse licite uxorem debitum reddere, cum ista copula respectu uxoris conscientiae nullitatis praedictae non matrimonialis, sed vere, & formaliter fornicaria dicenda sit, ut ex sapientissima instructione a Sanctissimo D. N. Benedicto XIV. hac de re edita 2. Octobris 1738. aperte videre est.

CAS. III. Petrus fingit se velle redimere censem annum, quem Paulo solvit, ut ab eodem Paulo diminutionem fructuum extorqueat, cum de facto neque possit redimere, neque velit. Q. Utrum praedicta fructuum diminutio possit ut valida in conscientiae foro tueri.

Respondeo negative. Ratio est, quia Petrus fingendo se velle redimere annum censem ad extorquendam a Paulo fructuum diminutionem, non nisi per dolum, & fraudem ipsiusmet Pauli censuslistae consensum obtinuit. Cum autem dolus, & fraus, dantes causam contractui, ipsum contractum irritum reddant, sequitur, non posse factam fructuum diminutionem tamquam validam in conscientiae foro tueri; Non quidem, quia Petrus jus non habeat redimendi suum censem; sed quia cum nolit, nec possit proxime censem suum redimere, dolose se gerit, ut fructuum diminutionem, quam unice querit, valeat obtinere. Ita de Lugo de contract. disp. 21. num. 171. Lacroix l. 3. part. 2. n. 1018.

M E N S E J U N I I .

CAS.I. Parochus in Montanis, ad restaurandam Ecclesiae sue Capellam B. V. dicatam, unam ex duabus argenteis lampadibus, eidem Capellæ dono datis ab Ecclesiæ Patrone, vendidit, dubitans, an ipsi talis venditio in praedicto casu liceret. Q. an aliquam excommunicationis poenam incurriterit.

Respondeo negative. Nam etiam dato, quod lampas argenteas, quam Parochus noster vendidit, non excipiatur a lege extravagantis ambuliosæ per cap. terrallas 12. q. 2. dici adhuc non potest dari in casu locum censuræ per dictam extravagantem infictæ. Ratio est, quia laudata Bulla non pertingit excommunicationis censura alienantes sine consensu Apostolico

Ec-

Ecclesiæ bona sive immobilia, sive mobilia pretiosa, nisi hoc faciant ex certa scientia legis prohibentis, ut constat ex illis Bullæ verbis: *Si quis contra hujus nostræ prohibitionis seriem quidquam alienare præsumperit. Cum igitur Parochus lampadem vendiderit præcise dubitans, an ipsi in casu restaurandi Capellam, talis venditio liceret; non vero sciens, hoc sibi esse absolute interdictum, ausu temerario præsumperit prædictam rem alienare, dicendum est, potuisse quidem peccare ea ignorando, quæ scire ex proprio munere tenebatur, non tamen aliquam incurrisse excommunicationis censuram. Ita ex Gavan. in Manual. Episc. v. alienatio n. 24. Suar. de cens. disp. 4. sect. 10. n. 2.*

CAS. II. Bononiensis Presbyter, domicilium habens in Diœcesi Mutinensi, Officium, ac Missam celebrat de Sanctis Bononiensibus, quia in Bononiensi Diœcesi possidet Beneficium. Q. an licite.

Respondeo negative. Ratio est, quia cum potentius sit vinculum domicilli, & residentiae, quam Beneficii, obligatio recitandi Officium tali ritu, & forma, nequit consurgere ex Beneficio tali loco existente, quamdiu obstat habitatio Beneficiarii in alio loco, ut in casu nostro contingit. Sicuti proinde extraneus tenetur se accommodare moribus, & legibus locorum, in quibus habitat; ita Beneficiarius debet se accommodare consuetudini celebrandi, & recitandi divinum Officium juxta ritum loci, in quo residentiam suam tenuet. Et haec est praxis, juxta quam omnes Sacris Ordinibus iniciati Missam celebrare solent, Canonicasque Horas persolvere de Sanctis illius Ecclesiæ, in qua eos morari contingat. Quia de re Bononiensem Presbyterum in civitate Mutinensi commorantem, qui ratione Beneficii, quod possidet in Bononiensi Diœcesi, Missam, & Officium de Sanctis Bononiensibus celebrat: nequaquam licite se gerere, dicendum est. Ita Gavant. in rubric. Brevar. sect. 2. cap. 2. n. 18. Filiuc. tr. 23. c. 7. n. 221.

CAS. III. Capellanus devotus, ac bene affectus erga Parochum suum, solet in Canone Missæ, post expressum Episcopi nomen, illud Parochi recensere. Q. an possit ab omni culpa excusari.

Respondeo negative. Cum enim ex præcepto S. Pii Quinti in principio Missalis relato præcipiatur, ut nemo aliquid addat, vel omittat in Missæ celebratione, sed ea præcise servet, quæ approbatis ritibus, præscribuntur, dicendum est, Capellatum nomen sui Parochi in Canone addentem non posse ab omni culpa per se loquendo, excusari. Dixi ab omni culpa, quia cum additio unius tantum nominis, & quidem non ex fine introducendi novum ritum, sed solummodo ex affectu nimio erga Parochum, materiae parvitatem non excedat, nequit in casu adinveniri culpa lethalis. Dixi, per se loquendo, quia si Capellanus devotus ex errore invincibili operatur, erit nondum a gravi, verum etiam ab omni culpa immunis. Ita ex Gav. in Rubric. de Miss. part. 2. tit. 8. n. 1. Tamb. de Sacrif. l. 2. c. 5. §. 3. n. 6.

M E N S E J U L I I .

CAS.I. Usceptis duobus oneribus nonnullarum Missarum, applicavit Sacerdos prima Sacrificia ad mentem illius personæ, quæ primo pro

pro iisdem oneribus stipendum datura erat. Q. an praedicta applicatio licita fuerit.

Respondeo negative. Ut enim fructus Sacrificii valide, & licite alteri applicetur, necesse est, ut in Sacerdote Sacrificium applicante detur intentio absoluta, & determinata, hoc est, ab omni eventu in futurum contingente independens: Nam si Sacrificium applicari potest juxta mentem illius, qui primo ex duobus daturus est eleemosynam, vel fructus Sacrificii debet in scientia, & acceptatione Dei manere suspensus usque dum eleemosynæ primo datæ conditio adimpleatur; vel debet de praesenti illi prodesse, qui conditionem eleemosynæ primo adimplebit. Neutrū autem dici potest. Non primum; secus, posset nunc etiam applicari satisfactorius Sacrificii fructus pro eo, qui est in actuali lethali peccato, ut illi prosit, quando futuro tempore justificabitur; quod dici nequit. Non secundum; secus, esset in facultate illius, qui potest ponere, vel non ponere conditionem, reddere sibi proficuum, vel non proficuum fructum Sacrificii, qui sibi jam fuit, transacto tempore, applicatus; quo pariter nihil absurdius dici potest. Hac de re Sacra Rituum Congregatio 15. Novembri anno 1605. sub Clemente XIII. illorum consuetudinem, qui Missas celebrant pro iis, qui primo sunt, stipem elargituri, tamquam à vetusto Ecclesiæ more aberrantem, explosit, ac improbabil. Ita ex Homob. de exam. Eccles. tr. 4. c. 14. n. 130. Martin. tr. 5. part. 2. c. 31. n. 9. & 10.

CAS. II. Ludens Titus rusticus cum filiofamilias suæ conditionis una die obolos quadraginta amisit, altera die sexaginta lucratus est. Q. an hoc lucrum possit Titus retinere.

Respondeo, posse Titum absolute retinere obolos quadraginta, quos jam altera die amiserat: Sicut enim Titus, perseverante eodem ludo, in quo amisit, poterat licite recuperare pecuniam amissam, ita potest eamdem in novo ludo recuperatam licite retinere; nam cum dictæ pecuniæ dominium ex consensu ipsiusmet Titii acquisierit vi ludi filiofamilias, potest hic eodem modo, vi novi ludi lucratae pecuniæ dominium in eumdem Titum transferre. Quantum vero ad alios viginti obolos supra quadraginta filiofamilias qualitas est attendenda; si enim constet, praedictum filium ex praesumptio patris consensu plenam habere dictæ pecuniæ dispositionem; tunc etiam viginti supra quadraginta lucratus obolos poterit Titus retinere. Si vero non levis adsit suspicio, quod hic pecuniæ excessus, vel sit furto è paterna domo sublatus, vel contra rationabilem voluntatem patris ludo exponiatur; cum sit lucrum pecuniæ, quam filius alienare non potest, erit suo domino restituendum.

CAS. III. Parochus nulla obtenta facultate, cedit arbores frugiferas sui beneficii, ut eas vendat, & pretium in usus suæ Ecclesiæ necessarios convertat. Q. an aliquam pœnam incurrat.

Respondeo affirmative. Nam si arbores frugiferæ absque ulla facultate à Parocho incisa in magna sint quantitate, ita ut ex praedicta incisione notabilis deterioratio fundi sequatur, pœnam incurrit Parochus excommunicationis in extrav. Ambitiosæ inflictam; quia istæ arbores solo cädunt, & judicantur pars fundi, quem Beneficiarius sine consensu Apostolico nec aliena-

re potest, nec reddere deteriorem, ut ex decis. Rot. Rom. docet Don. q. 69. n. 16. Gav. in Manual. Epis. tit. de rebus Ecclesiæ non alien. num. 18. & Boss. n. 422. & 439. Si vero incisa arbores in tanta non sint quantitate, ut praedictæ Extravagantis pœna incurrit; incurret Parochus in hac Dicēcisi pœnam suspensionis ab officio, & beneficio ad Archiepiscopi beneplacitum, necnon compensationis illatorum damnorum; cum arborum non cäduarum incisio, etiam titulo expendendi earum præmium in usus necessarios Ecclesiæ, sub praedictis pœnis vetita sit, si absque Ordinarii, vel ejus Vicarii facultate in scriptis obtenta fiat, ut aperie ex Synod. l. 3. c. 10. videre est.

M E N S E A U G U S T I .

CAS. I. Petrus, qui plura habuit fornicandi proposita, per lapsum notabilis temporis interrupta, non vult numerum talium propositorum in confessione aperire, unde inabsolutus à Confessario rejicitur. Q. an sit jure rejectus.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia cum Petrus plura habuerit fornicandi proposita, hæcque per lapsum notabilis temporis fuerint interrupta, dicendum est, eumdem Petrum non unum, sed plura commisso interna peccata, quæ numero censemur multiplicari, quoties ipsi voluntatis actus moraliter interrumpuntur. Cum autem ad confessionis integratatem omnia, & singula peccata, non solum quoad speciem, sed etiam quoad numerum explicare necesse sit, ut habetur ex Trid. sess. 14. c. 5. & ex alia parte noluerit Petrus propositorum suorum numerum aperire, dicendum est, eumdem Petrum, utpote indispositum, fuisse jure merito absque absolitione rejectum. Ita ex Girib. de integr. confess. c. 7. n. 36. & communiter.

CAS. II. Rusticus involuntaria ebrietate graviter percusit Clericum, quod ante ebrietatem ex malo animo, quem nutriebat in ipsum, se facturum prævidit. Q. an in Excomm. Papæ reservatam inciderit.

Respondeo affirmative. Nam ad incurriendam censuram nihil aliud requiritur, nisi quod una simul cum interno actu peccati ponatur ipsum factum externum sub censura prohibitum, etiamsi inter internum peccati actum, & ipsum factum externum aliqua temporis mora intercedat. Cum itaque Rusticus, ex malo animo, quem nutriebat in Clericum, præviderit ex una parte delictum à se in ebrietate patrandum, & ex alia parte, se voluntarie inebriando, noluerit jam prævisi, inde patrati mali periculum evitare, dicendum est, taliter posuisse peccatum, & factum sub censura prohibitum, ut ratione actus ante ebrietatem eliciti, & ratione gravis percussionis in ebrietate secutæ in excommunicationis censuram contra violentam manuum injectionem in Clericos latam, & Pontifici reservatam, inciderit. Nisi igitur ignorantia juris laboraverit rusticus, censeri nequaquam potest à dicta censura immunis. Ita ex Suar. de cens. dis. 5. sect. 1. n. 20. Bonac. disp. 1. q. 1. punct. 4. n. 10.

CAS. III. Diaconus simulans externe se habere intentionem, quam vere non habebat, accipiendo Sacerdotium intra annum, Beneficium curatum obtinuit, licet mutata inde voluntate Sacerdos intra annum effectus sit. Q. an fruc-